

commiffuris tum foraminis ambitu circa tubulum undique probè obturatis, antliam exercuimus, ad primum statim hauftum videntes Mercurium intra tubulum aliquousque deſcendere, porroque altitudinem ejus magis magisque immi-
nui, quo magis aëris copia & elaterium in recipiente exant-
lando eſſent imminuta.

VI. Quod idem Phænomenon luculentiùs multò in oculos ſpectatorum incurrebat ſub antliæ nova acceſſione



Phæn. VII.

Phæn. VIII.

ſuperiùs deſcriptâ. Cùm enim Baro-
ſcopium A B C ritè præparatum ac ſu-
pra orbem antliæ orichalceum ita po-
ſitum ut aëris exitum per foramen me-
dium ne impediret, texiſſemus cam-
panâ vitreâ coniformi ſupernè ad D
perforatâ, & munito cerâ & veſicâ ſuil-
lâ hoc foramine, antliam exercere cœ-
piſſemus, Mercurius primo ſtatim hau-
ſtu à B infra D 5. vel 6. digitos delapſus
eſt, ſecundo hauſtu iterum per notabi-
le, priore tamen minus, ſpatium & ita
conſequenter; donec tandem nihil fe-
rè decreſceret ampliùs ejus altitudo, ad
æquilibrium plenarium cum exteriori
in vaſculo ſe reduci non paſſa: quemad-
modum, cùm tubulum aquâ plenum
ſed inverſum & infrâ apertum intra
hujus campanæ cavitatem ſuſpendi-
ſemus, ſperantes poſt plures antliæ
hauſtûs illam è tubulo paulatim pro-
lapſuram, ne fic quidem ſatisfacere ſpei
ac deſiderio noſtro licebat, utpote
quovis hauriendi conatu eò vix adige-

Phæn. IX. re ſuſpenſam aquam hac vice valentes, ut guttulam unam al-
teramque dimitteret. Illud interim jucundum erat ſpectatu,
quòd